Codice scheda: ASC F5080210 (Microscheda: 3322C4/5)
Luogo e data: TORINO - 01/10/1899
Autore: RUA MICHELE
Destinatario: KNYCZ ANDRZEJ
Classificazione: CASE SALESIANE
Tipo documento e supporto: Corrispondenza in genere - Manoscritto
Autenticità: Interamente autografo

Contenuto: Lettera del Rettor Maggiore [al presunto parroco di Oswiecim] circa il lavoro e la lotteria iniziata da D. Trawinski Francesco.

D.- Oswiecim 1 ott. 1899 Trawinski D. Fran. Rua D. Michele

9

Rev.me Domine

Maximas tibi ago gratias pro litteris, charitatis plenis, quas mihi die 25 Septembris elapsi, scribere dignatus es. Me excusatum habe si pridie quam eas acceperim, alias gallico idiomate exaratas miseram timens ne mea anterior epistola ad te pervenerit. Facile concipies, Rev.me Domine, quanta trepidatione agitaretur cor meum usquedum certo scirem quaenam esset filiorum meorum Osviecim commorantium agendi ratio.

Quae de Fran. Trawinski zelo mihi scripsisti, aliquo gaudio me affecerunt, sed si te consuluissem antequam ille Lotteriae manum imponeret, certe omni qua polleo auctoritate conatus fuissem ut eius juvenescentem ardorem intra prudentiae fines compescerem. Procul dubio aegre patiebar hunc sacerdotem salesianum perpetuis itineribus esse intentum nec non eius socios continuis scriptationibus theologicis studiis posthabitis tempus terere. Juxta sapiens tuum consilium, opportuna eisdem dabo monita, dummodo non sero medicina paretur.

Charitati tuae debitor sum si ad meam usque notitiam pervenit controversia, quam aliquin forsitan ignorassem, inter R. Crac. Episcopum et meum delegatum.

Dolendum sane tantae Antistitis in

F5080210 ARCHIVIO SALESIANO

3322C4

Salesianos benevolentiae tam indigne eos respondisse. Magno item affectus sum maerore cum legi Fran. Trawinski atque superiorum licentia sacerdotem Wrobbewski ad unionem missarum propagandam misisse et lotteriam instituisse. Joannis Bosco vestigia secutus, Antistitis monita audire humiliter et fideliter exequi debuisset.

Quae cum ita sint perspicuum est quam opportunum sit tuum consilium mittendi Oswięcim seniorem aliquem sacerdotem qui prudenter novam familiam dirigere valeat. Sed nulli adhuc inveniuntur in Salesianorum Societate Poloni sacerdotes, qui aetate, virtute ac scientia praestent. Quapropter tibi, qui bene omnia quae ad Salesianos Oswięcim pertinent bene nosti, et tanta prudentia ac benevolentia mihi respondisti, mentem meam aperire audeo. In promptu est Salesianus sacerdos philosophiae et Theol. laurea exornatus, pietate, prudentia ac comitate excellens. Jam germanicam linguam callet, polonam sufficienter facile discet. Mihi dicere velis, quaeso, an illum pro tempore Oswięcim mittere possem. Saltem ille salesianam communitatem regeret.

A te consilium expostulo.

Interim tibi gratias ago et a M. Maria Aux. Ch. omnia fausta precor.

Vale in Domino — Humil. ac addict. Michaël Ru[a]

(Indirizzo a Torino)

332265

Archivio Salesiano Centrale - F5080210 - 2